Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

ecce video gracias tibi deus meus ego video Gracias
tibi illuminator meus et confusus sum et vidi tene
bras meas in quibus fui iam et abyssum tenebrosam
in qua iaciam et contremui et expavi et dixi Ve ve
tenebris meis in quibus iacui ve ve cecitati illi in
qua videre lumen celi non poteram ve preterite ig
norancie quando non cognoscebam te domine
Gracias tibi liberator meus quoniam illuminasti
me et cognovi te sero te cognovi veritas antiqua
sero te cognovi vita eterna et tu eras in lumine et ego
in tenebris et non cognoscebam te quoniam illumi
nari non poteram sine te et non est lux extra te
Sancte sanctorum deus inestima
bilis maiestatis deus deorum · et
domine dominorum mirabilis et
inenarrabilis quem tremunt in
celo angelice potestates quem adorant
dominaciones et throni et omnes vir
tutes pavent a conspectu tuo cuius potencie sapiencie
non est numerus Qui fundasti mundum super
nichilum et mare colligasti in aere quasi in utre ·
Omnipotentissime spiritum vivifice carnis a cuius
conspectu fugit celum et terra et ad cuius nutum om
nia se subiciunt elementa Te adorent et glorificent
omnes creature et ego filius ancille tue perfide tua ·
flecto cervicem cordis mei sub pedibus maiestatis tue
gracias agens quoniam dignatus es per misericordiam
tuam illuminare me lumen verum lumen sanctum ·
lumen delectabile lumen admirabile lumen super
laudabile quod illuminas oculos angelorum
Ecce video gracias ago ecce video lumen celi Influcet
oculis mentis mee radius desuper a facie luminis
tui et letificas omnia ossa mea Dominus perficiet in me